Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 811
Quelle:
Copyright:

ſequi et laboris infiniti, et exiguae foret utilitatis.

CCXLI. VII. C. 8

190 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. exeuntis, Folior. 233. f. per duas columnas currente calamo ſcriptus ſub praemiſſa Contentorum Rubrica haec habet: *Hunc librum contulit monaſterio beate marie virginis alias ſcotorum Wienne Venerabilis dominus Thomas de Weytra presbiter pat. dyoc. vt oremus deum pro eo et ſibi coniunctis.* Sunt vero, quae continet: I. *Liber b. Auguſtini de domo conſcientie*, hoc initio: *Domus hec in qua habitamus ex omni parte ſui ruinam nobis minatur* &c. Libellus hic, communi cum pluribus ejusmodi Opuſculis fato, rudi illo aevo diverſis inſcriptus eſt. Ut enim *Auguſtini* non eſt, ita legitur inter Opera *Bernardi* edit. *Mabill.* ſecundae *Pariſ.* 1690. T. V. p. 335. et in edit. Opp. *Hugonis a S. Victore Rothom.* 1648. T. II. p. 170. Librum III. *Tractatus de Anima et de interiori Domo* conſtituit. Accedit *Oudinus*, qui T. II. col. 1155. illum ad *Guillelmum S. Theodorici* prope *Remos* Abbatem transfert. Nobis integer non eſt; nam collatus cum *Hugone ſuprac.* et Capitibus XXXII — XLV. deſtituitur, et in C. XLIX. definit hac clauſula: *Explicit liber de conſcientia Auguſtini &c. 1391.* Caput praeterea XXI. nobis inſcriptum eſt: *Confeſſio beati Bernardi*, et margini C. XLVI. alia manu adjectum eſt: *Incipit libellus ejusdem beati Auguſtini de ſalute anime.*

II. *fol.* 9. p. 2. Cento *de contemptu mundi* ex Sententiis *Ambroſii*, *Auguſtini*, *Hieronymi*, *Gregorii M.* et *Bernardi* contextus, qui incipit: *Multi multa ſciunt, ſeipſos autem neſciunt* &c. et finit: *quare tanquam indignus laudas, quod ignoras. Deo gratias Amen. explicit quedam particula de contemptu mundi.*

III. *fol.* 12. rubro: *Hec demon clero transmittit ſcripta moderno.* Epiſtola Sathanica iis gemella, quas ſaepius, ut ex *Indice* liquet, retuli. Incipit: *Lucifer princeps tenebrarum triſticia profunda regens achyrontis imperia* &c. et in Codice quodam *Tegernſeenſi*, teſte *Bern. Pezio Theſ. Anecd. T. I. Diſſert. Iſag.* p. 79. *Henrico de Haſſia* tribuitur. In alio *Mellicenſi*, pariter ut in noſtro, ἀδεσποτος eſt.

IV. *fol.* 12. p. 2. *Soluciones quarundam queſtionum propoſitarum.* Propoſuit *Rudolfus* quidam, et ſolvit *Henricus de Oyta* notus Academiae *Vindob.* Theologus. Ingreſſus eſt: *Reuerende Domine Rudolfe, queſtio veſtra prima eſt, quomodo intelligendum ſit, quod in perſona Domini noſtri ihesu chriſti eſt verus deus et homo, et deus ubique eſt et tamen humanitas vbique chriſti non eſt, ſed in certis et determinatis locis, cum tamen ambe nature ſcilicet Deitatis et humanitatis ſint in vna perſona chriſti.* (2) *Item petitis vobis ſcribi vnum et breue notabile de predeſtinacione.* (3) *Item de Domi-*

nio